ORIGENES

Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 202r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

pissima liberabit. nisi ille qui dixit. si uos filius libe-
rauerit uere liberi eritis. Et enim scio quia seruus
non potest libertate donari. nisi fideliter seruiens.
nisi dominum diligens. Et ideo et nos fide-
liter seruiamus et ex toto corde et ex toto animo
et ex tota uirtute nostra diligamus dominum deum nostrum.
ut mereamur libertate donari a christo iesu filio
eius domino nostro. cui est gloria et imperium in saecula
saeculorum. amen. DE HIS QUAE OFFERUNTUR
XIII AD TABERNACULUM.

Iam quidem et prius de tabernaculo pro uiribus diximus.
Uerum quoniam saepe in exodi libro repetitur ipsa descriptio.
dicitur enim et cum deus praecepit moysi qualiter fieri
deberet. Et iterum cum moyses praecepit populo ut
offerret construendo operi materias. sicut haec lectio
continet quae nobis modo recitata est. Sed et
postmodum enumerantur singula cum perfecta [illegible] et ce-
teros sapientes uiros fabricarentur. Et iterum cum
ad conspectum moysi deferuntur. Et rursum cum perfecta
erectum domino dedicantur. Fit praeterea et in aliis uel
libris uel locis horum commemoratio. Et frequenter
repetitur ut puta quod necessaria commonetur.
Nunc ergo recitatus est nobis ille sermo ubi dicit.
Et dixit moyses ad omnem synagogam filiorum